

3
suu Deo.

E N A T I S M A T A
E L E C T O R A L I A S A X O N I C A ,

Consecrata memorie felicissimæ,

I L L V S T R I S S I

M I A C P I E N T I S S I M I

Principis ac Domini, Domini

A V G V S T I ,

S A X . D V C I S , S A C . R O M .

Imperij Archimarschalli & Electoris,

Landgrauij Thuringia, Marchi-

onis Misnia, & Burggra-

uij Magdeburgensis,

Patris Patriæ.



Authore

M. A B R A H A M O

Beuthero.

L I P S I Æ ,

Iohannes Beyer imprimebat,

Anno 1 5 8 6.

4.

IN LAUDEM DIVI
AVGVSTI ELECT. SAX.
incliti virtute Togata Herois.

Augustus Saxo *Marschalli munere summus,*
Electo Princeps, Ensifer Imperij.
Iofias Pietate fuit: Virtute Dauidi
Par: sed & Eloquio nõ Salomone minor.
Iusticia *studuit non dispar Iofaphat esse:*
Cumq; Afa Pacis fœdera sancta fouet.
Ut Patriam Iacobus amat, Iosephus ut illã:
Sic huic & Patriæ maxima cura fuit.
Quantus & Ezechias *abolendo Idola parentis:*
Tantæ ipsi curæ Concio pura fuit.

ILLV-

ILLVSTRISSIMO
ATQVE POTENTISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO
CHRISTIANO,
DVCI SAXONIÆ, SAC. ROM.
IMP. ARCHIMARSCHALLO ET ELECTORI, LAND-
grauio Thuringiæ, Marchioni Misniæ, ac Burggrauio Mag-
deburgensi, Domino suo Clementissimo. S.

*Christi præclarum, geris & qui nomen auitum,
Hæc mea scripta lege, & consule quæso boni,
Rara Patris virtus, clemens sapientia, suavi,
Iusticia iuncta, me facit ista loqui.
Secula multa decus mundo non tale dederunt,
Tale decus, Regni portio quantæ fuit.
Iam quare breuiter generoso sanguine nate
Audi dicentem: Mitis ut esse soles.
Natura illustris, generis splendorq; decusq;
Vsq; adeo magna me comitate beent. (pago,
Scilicet hoc precor: ò AVGVSTI clara pro-
ELECTOR PRINCEPS, SAXONIÆQVE DECVS.*

T. Illustrissimæ Celsitatis

Subiectissimus

ABRAHAMVS BEVTHER,
Ludi apud Mariæbergenses
Literarij Magister.

A 2

SVM

S V M M O S A C E R
D O T I S A N C T O S A L -
V A T O R I S A C R V M,

E N A Γ I Σ Μ Α Τ Α

E L E C T O R A L I A S A X O N I C A,

Dicata memoriae felicissimae atq; pientissimae,

D I V I A V G V S T I S A X O N I Æ
D V C I S, A C C R E A N D I S I M P E R A -
T O R I B V S S E P T E M V I R I, P A T R I S P A T R I Æ.

Θ Ρ Η Ν Ο Ι Κ Α Ι Π Α Ρ Α Κ Λ Η Σ Ε Ι Σ V I C I S S E
T V D I N A R I Æ, I M P E R I I R O M A N I, C A P I -
t i s m e m b r o r u m q u e e i u s q u o r u n d a m, a c D i u i
A V G V S T I S a x. E l e c t o r i s, & c. H o c
c o r p o r i s e r g a s t u l o s o l u t i,

S A C R V M R O M A N V M
I m p e r i u m.

*Ensifer Augustus cecidit, Germania plange,
Hei cecidit Regni, quanta Columna mei.*

Augustus Dux Sax. Elector.

*Regni magna Columna fui, quod Pacis amore
Distentus, colui cum Pietate fidem.*

Sacra Cæsarea Maiestas.

Augustus Sapiens, Romani Dexterâ regni
(Res

(Res quam grata Deo,) tempora leta dedit.

Augustus Dux Sax. Elector.

*Tempora leta dedi, Sacri Myſteria verbi
Tradita ſunt populo, quod Sapientis opus.*

Fortis & inclita Germania.

*Lugeo te merito Princeps Auguſte Parentem,
Nam Virtute tua nobilitata fui.*

Augustus Dux Sax. Elector.

*Qui Pater eſt Patriæ Virtutis fulget honore,
Inclita quæ Virtus ſcandit ad aſtra Poli.*

Illuſtris. Imp. Septemviri.

*Imperij conſors Marſchallus munere ſummus,
Augustus, placida Pace quietus obit.*

Augustus Dux Sax. Elector.

*Pacis amās quisquis, nanciſcitur optima Pacis
Munera: Pax cingat mœnia veſtra precor.*

Illuſtris. filius Dux Chriſtianus Elector
Sax. & Archimarſchallus, &c.

Ab Pater ô Auguſte, decus qui Saxonis ora,

A 3

Quam

Quam tua Mors tristis Mors inopina fuit.

Augustus Dux Sax. Elector.

*Mors est leta mihi; Fili, cui tradita sceptrum,
Fac Christi nomen cum Pietate geras.*

Illustris. Elector Marchio Brandebur-
gicus, Dominus Iohannes Georgi-
us Imperij Archicamerarius.

*Amisi Fratrem quo non mihi carior alter,
Quam gemo, quã doleo, Nã mihi Fidus erat.*

Augustus Dux Sax. Elector.

*Præmisisse tuum non amisse putabis
Fratrem, sincero cuius amore cales.*

Illustris. focer Dominus Ioachimus
Ernestus Princeps Anhaltinus.

*Coniugij tempus gener ò carissime mœstum,
Tam breue quod gnata Parca maligna dedit.*

Augustus Dux Sax. Elector.

*Sic fuit in Fatis, Fato Connubia fiunt.
Fata mihi vitam, Fata dedere necem.*

Reue-

Reuerendiss. atque Illustriss.

D. D. D. Generi.

*Ab patria pater, & spes magna, & gloria nostra,
Siccine tam celeri morte peremptus obis?*

Augustus Dux Sax. Elector.

*Non obij, generi gnatarum magna mearum
Spes, abij in Cœlum regna paterna colens.*

Illustriss. Coniunx Electorissa, Domi-
na vidua Agnes Hedvvigis.

*Hei mihi, nō fausto cōiunx mihi fidere iunctus:
Quā mihi fors tristis, quā mihi dura cadit.*

Augustus Dux Sax. Elector.

*Omnipotens isthic fausto nos fidere iunget:
Tum tibi fors dulcis, tum tibi læta cadet.*

Illustriss. tres Filiaë ducissæ.

*Plangimus hei Patrē gnatas Pietate fouentem,
Anchora nostra Pater, Portus & ipse fuit.*

Augustus Dux Sax. Elector.

*Anchora nostra Deus, Pater, & sit Portus in
Fidite vos summo, pignora cara, Deo. (arctis,*

S V B-

SUBDITÆ REGIONES.

Electoꝛatus Saxonicus.

*Saxonici proceres, decus immortale merentem
Plangite, Saxonie firma Columna ruit.*

Augustus Dux Electoꝛ Sax.

Plangite nequaquam, Nam Filius, auspice
(Christo

Saxonie fiet firma Columma domus.

Comitatus Prouincialis Thuringorum.

*Augusti fulgens cunctos Sapiencia vicit,
Hunc luget merito Teutonis ora Patrem.*

Augustus, &c. Comes Prouin-
cialis Thuringorum.

*Vera Timore Dei sapientia constat: at inde
Quæ merces? nunquam quæ peritura bona?*

SOLVM NATALE

Marchionatus Misnensis.

*Augustum excepi nascentem Misnica terra,
Contego nunc tanti Corpus & Ossa viri.*

Augustus, &c. Marchio Misniæ.

Quam

*Quamuis Corpus habes, Coeli mens occupat astra,
Ergo Polus Patria est: Misnica terra vale.*

Burggraviatus Magdeburgensis.

Augustus Prudens, Iustus, *Duce & auspice Christo*
Umbra probis, reprobis terror & error erat.


Augustus, &c. Burggravius Magdeburgensis.
Iusticia excellit, cuius Prudentia ponit
Supplicium reprobis, Præmia digna probis.

DIVVS AVGVSTVS DEFVNCTVS

ELECTORATV, TRADIT ARMA ET INSIGNIA ELECTORATVS
& Ducatus Saxonici filio Duci Christiano, successori Pio, Inclito, felici.

ENSES.

RUTA.



B

RUTA

RUTA DOMVS SAXONICÆ.

Spes, Pietas, & Casta fides, Dilectio, Virtus :
Hæc sunt Saxonica gemmea ferta domus.

Augustus Dei Gratia Dux Saxonix.
*Hæc sunt Ensifera stirpis Rutacea ferta,
FronDESCAT virtus, Rutaq; multicomæ.*

E N S E S.

Alter :
Ecce ego Iusticiam propugno legibus æquis.

Alter :
Vindex Iusticiam ditiq; inopi q; ministro.

Sac. Rom. Imp. Archimarschal-
lus & Elector.

*Ame gnate tibi iam traditur Ensis uterq;
His regere imperio populos mi gnate memento,
Parcere subiectis, & debellare superbos.*

ΠΑΝΗΓΥΡΙΚΟΣ ΛΟΓΟΣ

Sed brevis admodum

REFERENS EPITAPHIVM

*Domini Augusti Saxonix Electoris, &
Archimarschalli, &c.*

Per

Per Officij ac Tituli eiusdem nomina didu-
ctus, quolibet versum incipiente.

Augustus Princeps Saxo, Dux, inclitus Heros
Diuina instructus Religione pius.

Gratia, & insigni populum complexus amore,
Dux bonitate pius, Dux pietate bonus.

Saxonix gentem moderatus legibus equis,
Sacri iuris amans iura sacra fouet.

Romani Regni Septemvir, Dextra, decusq;
Imperij Augustus quanta columna fuit.

Archimarschallus fuerat qui Teutonibus oræ,
Electo Princeps, Ensifer Imperij

Landgravius semper letatus pace Togata,
Thuringorum ipsi cura fidelis erat.

Marchio præterea, prima florente iuuenta,
Misnensis dictus: Terra paterna fuit.

Burggravius tandem prælustri nomine pollens
Magdeburgensis; Nomine dignus erat.

Dux Pius, atq; Potens, & seruantissimus equi,
Felix, Musarum fautor & altor erat.

Inclitus, atq; Pater Patriæ, iustissimus vnus,
Augustus, melior quo Duce nemo fuit.

Mortuus is placidè natura debita soluit,
In Domino letus Spiritus astra colit.

E P I T A P H I V M

ILLVSTRISSIMI AC PIEN-
tissimi Principis ac Domini, Domini
AVGVSTI Ducis Saxoniae, &c.
Septemviri creandis Impera-
toribus, Patris Patriae.

*Quid velit hoc marmor? cuius tam splendida moles?
Cuius sint forsàn busta rogare voles?
Hic iacet Augustus Romani Dextera Regni,
Concidit heu Regni Dextra, Columna, decus.
Augustus Saxo Marschallus munere summus,
Electo Princeps Ensifer Imperij,
Et Thuringorum Landgravius ipse fidelis,
Nec non ille tuus Marchio Misna fuit. (ros,
Ac Madeburgensis Burggravius, inclitus He-
Hei quanta Imperij, quanta Columna ruit.
Iofias Pietate fuit: Virtute Davidi
Par: sed & Eloquio non Salomone minor.
Iusticia studuit non dispar Iofaphat esse:
Cumq; Afa Pacis fœdera sancta fouet.*

Vt

Ut Patriam Iacobus amat, Iosephus ut illam:
Sic in eo Patriæ maxima cura fuit.
Quantus & Ezechias abolendo Idola parentis,
Tanta ipsi curæ Concio pura fuit.
Bis tria lustra pius, iunctis tribus insuper annis,
Electoratus præfuit officio.
Saxonix Pater, atq; tuum Germania Fulcrum:
Hic Oculus Regni, & pulcra Corona fuit.
Quisquis es, ista legens, ipsi bona cuncta preceris,
Augusti dicas molliter Ossa cubent.
Alma animæ pax sit, quæ possidet atria Cæli,
His dictis: Salve, vine valeq; diu.

T A Φ A I

DOMVS SAXONICÆ, STIR-
pis Illustrissimæ, Ducis Heinrichi,
Principis Religiosissimi.

Hic Pater Heinrichus: Victor Mauricius: Heros
Augustus: Soboles: Anna tori socia:
His tumulis pariter conduntur: at astra Polorum
Mentes illorum iam sine fine tenent.

B 3

ILLV-

ILLVSTRISSIMO ATQVE PO-
TENTISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO IOAN-
NI GEORGIO, Marchioni Brandenburgensi, Sacri Rom. Imperij
Archicamerario, & Electori, Borussiae, Stetini, Pomeraniae, Cassubiorum,
Sclauorum ac Grosnae in Silesia, &c. Duci, Burggraui Norin-
bergenfi, ac Principi Rugiae, Dom. suo clementissimo. S.

*Imperij qui sceptris geris, Dux Iane Georgi,
O Ducis Augusti frater, amice, socer.
Augusti lugens casum, quo regna fuerunt
Nostri quieti: Quies suavis & Imperio.
Naturae ille bonis, Fortuna, & Corpore clarus,
Est cui non referunt secula nostra parem.
Subq; alis cuius viguit pax inclita, florent
Germani proceres, Misnia tuta fuit.
Excellens pietas Augusti fouit, & auxit
Ornando curans Temples Scholasq; bene.
Rebus & ille suis sapienter praesuit: eius
Gloria magna fuit: Gratia multa fuit.
Illius vitam mea carmina pingere tentant
Vt doleam tecum, teq; dolore leuem.
Sint igitur iucunda tibi, mitissime Princeps*

MARCHIO ET ELECTOR, SCEPTRIGER IMPERII.

T. Illustrissimae Clementiae

Subiectissimus

ABRAHAMVS BEVTHER
Artium & Ludi apud Mariae-
bergenfes Magister.

ΘΡΗΝΟΣ ΕΓΚΩΜΙΑΣΤΙΚΟΣ

De Obitu ac Virtutibus

ILLVSTRISSIMI AC PIENTISSI-
mi Principis ac Dom. Dom. *Augusti*, Du-
cis Sax. Sac. Rom. Imp. Archimarschalli
& Elect. &c. Burggrauij Magdeburg.

A C

ΠΑΡΑΙΝΕΣΙΣ ΑΙΤΗΤΙΚΗ

De gubernatione auspicata

ILLVSTRISSIMI AC GENERO-
sissimi Principis ac Domini, Dom. *Chri-*
stiani, Elect. Sax. &c. Filij successoris.

Hectore *quis* Virtute prior? *quis* Nestora *vicit*
Eloquio? *Aenea* *quis* Pietate prior?

Et *quis* Aristidem Iustum *superavit*? *Vlysse*
Ebrius in Patriæ *tum* *quis* amore *magis*?

Quis prior *Augusto*, quo *Cesare* *secla* *fuere*
Aurea, quo *concors* *Pax* *fuit* *orbe* *vago*?

Magnus *id* *Augustus* *Saxo*, *quia* *prestitit*, *vnus*
Omnibus *est* *par* *est*, *Omnibus* *atq;* *prior*.

Iofias *Pietate* *fuit*: *Virtute* *Dauidi*

Par: *sed* *est* *Eloquio* *non* *Salomone* *minor*.

Iusticia

Iusticia studuit non dispar Iosaphat esse:
Cumq; Afa Pacis fœdera sancta fouet.
Ut Patriam Iacobus amat, Iosephus ut illam:
Sic huic & Patriæ maxima cura fuit.
Hinc fuit Aufonio Regi non carior alter,
Qui Patriæ columnen Maxmilianus erat.
Cæsaris Augustum semper reuerenter habebat,
Eius consilijs usus & ipse pijs.
Laudibus hinc extollit eum Saturnia tellus:
Hinc Gallus cupida mente videre cupit.
Danus & affinis Rex inclitus, optimus Heros,
Principis illius gaudet amicitia.
Huc Rex Sarmaticus, quo magna Polonia floret,
Ut Magnum magno Magnus honore colit.
Sceptriger Imperij prælustris Marchio, quantum
Diligit Augustum, cui velut alter erat?
Nec non Ascanius qui stemmate clarus auito,
Augusti quanto cordis amore calet?
Ergo tui cecidit Flos ô Germania Regni,
Ah cecidit capitis pulcra Corona tui.
Alterius iacturam Oculi Germania fecit
Hunc Heroa bonum plangite Teutonides.

Teuto-

*Teutonici proceres lugete, orate Deumq̄;
 Gnatus par fiat, vel prior ipse, Patre.
 Atq; pijs precibus vestris instate frequenter
 Hac Ruta ut vireat, floreat atq; diu.
 Ut Patris illustris vigeat generosa propago,
 Non Virtute minor, non Pietate minor.
 Ut pietate Atavos superet, virtute parentem,
 Promoveatq; piè Relligionis opus.
 Mœnia Saxonie tranquilla in pace gubernet,
 Ut verè Dominum Teutonum ora colat.
 Cumq; pijs foueat iustosq; nouemq; sorores
 Tum sit & in patria captus amore sua.
 Ac multos felix numeret, clarosq; nepotes,
 Atq; ipsi prosper sapius annus eat.
 Saxonia ut felix, ut sit Thuringia felix
 Ac sub eo pacem Misnica terra colat.*

EXTREMVM VALE

DVORVM ILLVSTRISSIMO-
 RVME TVTVE TOGATA INCLITORVM
 ROMANI IMPERII ATQVE GERMANIAE HEROVM, AC
 D. D. Domini AVGVSTI, Ducis Saxonie Archimarschalli, &c
 corporis iam egastulo soluti, ac Domini IOANNIS
 GEORGII Marchionis Brandenburgensis Ar-
 chicamerarij, &c. Vtriusq; Creandis
 Imperatoribus Septemviri.

C

I.G.

I.G. *Quo quaeso, ò Auguste pater qui Teutonis ora
Qui mihi amicus eras, qui mihi frater eras?*

A. *Frater, amicus eram, sed regna petēdo Polorum
Jam frater, pater & iam mihi Christus erit.*

I.G. *Ergone quem cara multum pietate fovebas,
Jam linqvis, fratrem deseris atq; tuum.*

A. *Desero? non. I.G. Quid? Non? A. Sublatus ad
(æthera Cœli
Sit, linqvo gnatum, frater ut ille tibi.*

I.G. *Ergo gener mihi frater erit? A. Frater tibi gnatus,
Frater qui Christi nomine gaudet, erit.*

I.G. *Quis tibi frater erit posthac? A. Frater mihi
(Christus,*

I.G. *Quis pater? A. Et Christus: Frater is atq;
(pater.*

I.G. *Quam bene, quam felix, cui frater, cui pater ille
Qui patris est gnatus virginis atq; patr.*

A. *Ergo etiam fratrem Christū, tibi Iane Georgi
Ut modo sis felix, si sapis, eligito.*

I.G. *Quod bene agis, faveo, doleo sed, A. Cur? I.G.
(Quia fratrem*

Amisi. A. Non. I.G. Est. A. Præ tibi frater ijt.

I.G. *Et doleo magis. A. Id quodnam? I.G. Pax incli-
ta nobis Te*

- Te vivo fuerat. A. Pax Deus almus erit.
- I.G. Ab metuo, procerum tecum Concordia fugit:
Hostes iam capiunt arma parata diu.
- A. Ne metuas, sed fide Deo, sis fortis in armis:
Christi vexillis utere, Victor eris.
- I.G. Pax tibi, bella mihi, mihi tellus, ast tibi Caelum,
Vita beata tibi, vita molesta mihi.
- A. Mars, mala, vita molesta tibi sunt: Esto fidelis
Et dabitur caeli pulchra corona tibi. (rum,
- I.G. Hoc mihi tam gratum, quam quae gratissima re-
Ast Auguste mihi dicito nunc, quid agas?
- A. Oscula nunc Nato, nunc Oscula figo Parenti,
Oscula nunc figo Spirituique sacro. (ultra
- I.G. Oscula cara tibi: A. iucunda mihi. I.G. sed an
Estne quid? A. Imo, quod te monuisse velim.
- I.G. Quidquid sit, moneas, peragam tua iussa fidelis,
A me quod poscit pignus amicitiae.
- A. Iam tibi commendo gnatum, commēdo nepotes,
I.G. Pignora cara mihi. A. Pignora cara mihi.
- I.G. An quid & ulterius? A. Prorsus nil. I.G. Ergo
(valet.
- A. Tu quoq₃. I.G. Vive bene. A. Et tu quoq₃
(vive pie.
- C 2 ILLV-

ILLVSTRISSIMO ET GENERO-
fissimo Principi ac Domino, Domino JO-
ACHIMO ERNESTO, Principi
Anhaltino, Comiti Ascaniæ, Do-
mino Seruestæ ac Bernburgi,
Domino suo clementiss.

*Imperij cecidit Romani Dextera, Coniunx
O rba virum luget, luget uterq₃ socer.
Augustum luget gnatus, gnataq₃ nepotes,
C umq₃ illis luget Sceptriger Imperij.
Hunc Oculum Regni luget Germania, luget
I llum Thuringus, Saxo dolore gemit.
Misnia felici felix hoc Principe luget,
V t q₃ solet Patrem patria terra dolet.
Subdita cur debet plebs non lugere parentem?
E ius cum virtus hoc generosa velit.
Religionis amans, nulli pietate secundus,
N ulli iusticia, pacis amore bonus.
Ergo tecta fremant, resonet plangoribus æther,
S int tristes nati sanguine Teutonico.
Tuq₃ adeo Augustum doleas cum morte peremtū,
V t manifestus amor sit Ioachime tuus.*

Susci-

Suscipies, certum, vultu hac lamenta benigno,
BERNBURGI PRINCEPS, ASCANIÆQUE COMES.

T. Illustrissima Celsitudinis

Subiectissimus

Abrahamus Beuther

*Ingenuarum artium & Ludi
apud Mariabergenses M.*

A K P O Σ T I X I Σ

Nominis Augusti

IN TVMVLVM

ILLVSTRISSIMI ET PIENTIS-
simi Principis ac Domini, Domini AV-
GVSTI, Sax. Ducis Archimarschalli
& Elect. &c. Burggrauij Magdeburg.

*Alme Deus, bona quant a mihi, bona quant a dedisti,
V ita priuatum dum super astra locas.*

*Gaudia que totus non unquam continet orbis,
V mbram vita notat, gaudia blanda, vaga.*

Salue igitur mundus, mundi preciosa caduci,

T ristia (me miserum,) mundus apertus habet.

V ita, salusq; parata mihi, pelagusq; bonorum

S anguine Messix: Transeat omnis honor.

C 3

AKPOΣ

ΑΚΡΟΕΤΙΧΙΕ ΑΛΙΑ

IN TVMVLM

eiusdem

ILLVSTRISSIMI AC FAMO-
sissimi Principis Septemviri.

*Augustus patriæ pater, & Dux portitor Ensis,
Vita deserta scandit ad astra poli.*

*Gloria Saxonie lucens, Germania luctu
Vincitur, & resonat tecta per alta dolor.*

*Salve Diue pater, Princeps Clarissime salve,
Te cælo pietas inserit, atq; fides.*

*Vive igitur Dominum visurus tempus in omne:
Sed tibi Vita: Poli sat tibi delicia.*

ΟΡΗΝΩΔΙΑ

ILLVSTRISSIMÆ PRINCIPIS
ac Dominae, Dom. AGNETIS HED-
VVIGIS, Electorissæ Saxonie, Fami-
liæ Illustrissimæ Anhaltinorum,
&c. Viduæ mœstissimæ.

*Unde mihi lachrymæ? Quis me mœrore replet am
Solatur viduam? Proh mala quantam mihi?*

Inclitus

Inclitus Augustus rapido quam tempore mecum
Coniugij casti fœdera casta colit.
Quam breue, quam labens tempus cum cōiuge vixi,
Vix sex hebdomadis Principis uxor eram.
Hei mihi coniugium magno mœrore redundans,
Hei mihi quam caro sum viduat a viro.
Gaudia parua mihi in magnum sunt versa dolorem,
Concidit hei capitis pulcra corona mei.
Totas in lachrymas vos mecum soluite amaras,
Sis mulier, virgo, sis soror, atq; nurus.

Π Α Ρ Α Κ Α Η Σ Ι Σ

ILLVSTRISSIMI PRINCIPIS
ac Domini, Domini *AVGVSTI*,
Electoris, &c. ad relictam Vi-
duam dilectissimam.

O Agnes Hedvvig mea lux, carissima coniunx,
Cordis dimidium, portio cara, mei.
Non aulam nostram querulis plangoribus imple,
Neue velis scissis exululare comis. (tas,
Sic Domino placuit, Domini benedicta volun-
Nomina & aeterni sint benedicta Dei.

Ad

*Ad Domini nutum cur non te fingere velles,
Quæ vidua es, tædis iam viduata tuis.
Isthic coniunget Dominus nos arbiter æui,
Pro mæstis paucis gaudia mille dabit
His valeas Agnes Hedvvig dulcissima coniunx,
Cordis dimidium, portio cara mihi.*

Θ Π Ι Ν Ο Σ

ILLVSTRISSIMI PRINCI-
pis ac Domini, Domini Ioachimi Er-
nesti, Principis Anhaltini, &c.

A C

Π Α Ρ Α Κ Λ Η Σ Ι Ε

ILLVSTRISSIMI ITIDEM
Principis ac Domini, Domini Augusti,
Ducis Saxonie Electoris, &c.

Referens formam Διαλογισμῶ & continens in-
super extremam valedictionem.

I.E. *Hei doleo, ah tristi luctu mea mēbra grauantur,
Quis gemitus? luctus quis leuat atq; meos?
A. Quid doleas, miror, cum te Deus ipse bearit
Pignoribus pulcris, Pignoribusq; pijs.*

I.E.

- I.E. Pignora pulcra mihi fateor, pia suntq₃, sed illis,
Inuida fortuna est, dura, maligna, rapax.
- A. Non fortuna vices rerum moderatur, Olympum
Obtinet, in cuius sunt sita cuncta manu.
- I.E. Ergo Dei nutu gnata est Auguste soluta
Coniugio? A. Sic est: Ergo dolore vaces.
- I.E. Id faciam, constat quod amor sit origo dolorum,
Exitus illius mœror & esse solet.
- A. Hoc ipsum doctrix rerum experientia monstrat,
Ut doleat suavi quisquis amore calet.
- I.E. Esto: Sed maius nunc tristia pectora torquet,
Quod gemo, quod miserum meq₃ dolore grauat.
- A. Quid gemis? I.E. Augustum gemo. A. Cur? I.E.
(quod prospera cuncta
Hoc duce, Christicolis pax adamata fuit.
- A. Est Deus Omnipotēs, à quo sunt prospera cuncta,
Hic author pacis, regnaq₃ constituit.
- I.E. Quin aliud gemo. A. Quid? I.E. quod te duce, &
(auspice Christo
Candida cuncta pijs, Turbida cuncta malis.
- A. Auspicio Christi cunctis sua premia dantur,
Sint ad Iusticia si moderata modum.

D

I.E. Sed

I.E. *Sed gemo preterea. A. Quae te tam tristia turbant?*

I.E. *Plurima sunt. A. Cessa quæso dolere magis.*

I.E. *Spargite nunc lacrymis rorantibus ora, genasq;
Teutonici proceres, Teutonicæq; nurus.*

A. *Sistite quin lachrymas, vestros rescindite luctus,
Teutonici proceres, Teutonicæq; nurus.*

I.E. *Germanus quisquis, tua pectora percute palmis,
Proh dolor, orba suo patria Corde iacet.*

A. *Cor Regni Dominus, populi qui Corda gu-
(bernat,*

Inq; Dei, Regis sunt pia Corda, manu.

I.E. *Lugeat Augustum Germanus morte perētum,
Uno Oculo patria est saucia facta suo.*

A. *Alter sit Dominus, Prudentia & alter O-
(cellus :*

His Oculis Regno visus acutus erit.

I.E. *Saxonia elicias lachrymas, Germania plangas,
Namq; venusta tuo corpore Dextra cadit.*

A. *Dextra Deus Regni est, aſt esse putato Sini-
(stram*

*Iusticiam : Hæ faciūt Regna secunda ma-
(nus.*

I.E. *Tem-*

I.E. *Temperet à lachrymis quis Saxo talia fando?*

Thuringus? Misna Civis & agricola.

Ab patriæ Pater Augustus, Dux, Portitor En-
In Domino placida mortis adiuit iter. (sis,

A. *Nō adeo doleas patriæ Ioachime Parentem,*
Est, cuius Patriam cura Paterna fouet.

Agricolas, Cives, Equites soleris amicos,
Pro lachrymis faciant ut pia vota Deo.

Inuictum Patriæ Cor, Dextera fortis, acutus
Est Oculus, Pater &, qui regit astra Deus.

Hunc precibus, votisq; pijs orate Parentem,
Alis ut Patriam contegat ille suis.

I.E. *Ergone Dux Auguste mihi solatia præbes?*

A. *Nil me nunc lachrymæ, nil iuuat atq; dolor.*

Felices lachrymæ, quæ fiunt pectore puro,

Hæ iunctæ precibus nil nisi fausta parant.

I.E. *Ergo Auguste tibi precor ut tua membra ques-*
(cant.

In Christo placidè Spiritus astra colat.

A. *Tu Ioachime vale, coniunx sit salua, do-*
(musq;

Agneti Hedvigi sint bona cuncta, precor.

D 2

I.E. *Quis-*

LE. *Quisquis es Augusto faueas, ipsiq; preceris,
Mens colat astra Poli, Membra quieta cur-
(bent.*

A. *Quisquis es Augusti flagrans ardore sereno,
Fac vitam felix intemeratus agas.
Viuito tranquillus, tranquilla in Pace beatus,
Pacis diuinae commoda multa cape.*

Ἰὸζα τῷ Σεῷ.



L I P S I Æ,
Iohannes Beyer imprimebat,

M. D. LXX XVI.

18. Nov 1996

Nh 1217

ULB Halle 3
001 600 079



TA → OL





συν δεω.

ENAGIEMATA
LECTORALIA SAXONICA,

Consecrata memorie felicissimæ,

ILLVSTRISSI

MIACPIENTISSIMI

Principis ac Domini, Domini

AVGVSTI,

AX. DVVIS, SAC. ROM.

Imperij Archimarschalli & Electoris,

Landgrauij Thuringia, Marchi-

onis Misnia, & Burggra-

uij Magdeburgensis,

Patris Patriæ.



Authore

M. ABRAHAMO

Beuthero.

LIPSIÆ,

Iohannes Beyer imprimebat,

Anno 1586.

4.

